

ADMONITIONES

I. Fratres Nostri Exercitia Spiritualia prædicantes, tum apud Religiosos et Sorores ad educationem juventutis institutos, tum apud utriusque sexus studentes, non obliviscantur S. Thomam Aquinatem singularem omnium scholarum catholicarum Patronum a SS. PP. Leone XIII institutum fuisse; nec omittant ad illos juniores in religiosis moribus et fide catholica efformandos, cultum et devotionem erga tantum Patronum promovere.

Ante festum Angelici Doctoris, per tres dies, in Ecclesiis nostris aliquæ functiones ecclesiasticæ, uti preces, fiant; et prævio consensu Ordinarii, benedictio cum SSmo. Eucharistiæ Sacramento, fidelibus fratribusque impertiatur.

II. Hortamur Fratres nostros, quorum Conventui conceditur parocia, ut officiis divinis, quæ die dominica in ecclesia parochiali fiunt, adsistant, præsertim si hæc officia sint parochialia simul et conventualia, uti mos est pro missa dominicali. Quantum vero ad Fratres, qui ministerio parochiali sunt addicti, nullo modo sese exemptos existiment a sequela chori, etiam die dominica, nisi forsitan ex parte et de licentia Superioris, qui se erga eos benignum semper præbeat.

III. Sacrosancta silentii lex, quam Patres nostri tanti fecerunt, ab omnibus Fratribus religiose et adamussim servetur tam in conventibus formalibus quam in vicariatibus. Etenim hæc saluberrima lex non minus novitios quam ipsos professos usque ad mortem ligat et obligat. Nec unquam e labiis nostris minimum evolet verbum quod illam in desuetudinem vel in contemptionem adducere possit. Quidquid in contrarium reprobamus ut alienum a religione Sancti Dominici, necnon ut scandalosum.

Caveant igitur Fratres, qui in conventu Novitiatns assi-